

**Eminentissime Princeps!**  
**Illustrissime ac Reverendissime Domine!**

**N**on stat dies festivus Tuus, cunctis, qui lingua loquuntur anglica vel potius universis, quotquot Sanctam amant Ecclesiam, exoptatus et cum gaudio memorandus. Quinque scilicet prope diem complentur lustra, ex quo Tu, Eminentissime Princeps, ad Pontificatus fuisti sublimatus dignitatem, et ecclesiae Westmonasteriensi praesul datus amplissimum illud ingressus es stadium, in quo ad exaltationem catholici nominis tam gloriosum cursum instituere et tenere divinitus Tibi fuit concessum.

Revera ipsius sancti Gregorii Magni Pontificis, qui Tibi, Eminentissime Princeps, ad purpurae honores evecto datus est titulus et patronus, vestigia Tibi proposuisti pre-menda. Sanctus Gregorius vere a Beda presbytero vocatus Angliae apostolus, in divino legimus officio, quanto ardore quantoque cum fructu Tu, Eminentissime Princeps in opus beati Gregorii intra Britanniae fines renovandum, tuendum, augendum per quinque iam lustra verbis, scriptis, exemplo incubueris, quis est vel exterorum quin cognitum perspectumque habeat Deoque pro Ecclesiae catholicae apud Anglos progressu gratias persolvat?

Neque vero, etsi ad Anglos praecipue divini verbi praeco es missus, intra Angliae fines ministerium Tuum et doctrina Tua potuit includi. Quaecumque enim, Eminentissime Princeps, de Spiritus Sancti duplici missione, de vitae spiritualis et sacerdotalis profectu, de Summi Pontificis et Sanctae Sedis privilegio, de vita sociali ad normam legis christianae instituenda fideles et populares Tuos non minus dilucide quam sapienter et graviter docuisti, haec omnia sicut aliorum plurimum, sic et nostratum leguntur et celebrantur lingua—in nostrorum tum sacerdotum, tum fidelium commodum et aedificationem.

Pastorem vero Tibi commissi quum Te videmus, et amicum pauperum et opificum, inter opyicum turmas versantem, pro ipsis laborantem et certantem—quis est catholicorum, qui non gaudio afficiatur et admiratione, et exemplo Tuo ad similia caritatis opera exercenda provocetur, quum vel apud eos ipsos, qui foris sunt, nomen catholicum propter Te in honore habeatur?

Admittantur igitur, quæso, Eminentissime Princeps, in hac festivitate Tua inter innumeras, quæ Tibi undique ex orbe catholico venient gratulationes, etiam hæc mea sincera et obsequentissima vota, summæ venerationis et fraternæ in Christo dilectionis argumenta et signa. Sane maxime videtur consentaneum, quin immo iustum ac debitum, ut ad tantam Angliæ catholicae solemnitatem etiam ex Germania nostra fidei et caritatis, qua invicem iungimur, transmittatur testimonium, præsertim quum ex Anglorum insula per sanctum Bonifatium lucem evangelicam nobis ortam esse gaudeamus.

Sed non uno hoc nomine, Eminentissime Princeps, vota mea Tibi sunt offerenda, urget enim non solum caritatis, sed et gratitudinis intimus affectus. Non enim e memoria excidit, quomodo Tu, Illustrissime Angliæ Primas, una cum ceteris Reverendissimis Angliæ Antistitibus, Episcopos Germaniæ apud S. Bonifatii Martyris reliquias de Ecclesiae libertate tractantes literis missis confortasti et erexisti, neque unquam illa, qua Reverendissimum Prædecessorem meum maximis in ærumnis consolatus es, epistola dabitur oblivioni. In primis vero in mentem redit hodie, quanto solatio mihi ipsi, Varmiensi tunc Antistiti, fuerint peramantissimæ literæ Unionis catholicae, Tuæ et nobilissimorum in Anglia virorum catholicorum dilectionis fraternæ indices, quæ tempore illa vix exorta, animum meum mirum quantum erexerunt et confirmarunt.

Preces igitur et vota tum amoris tum gratitudinis ergo pro Tua ipsius, Eminentissime Princeps, nec non pro gregis Tibi crediti salute et prosperitate, et pro Ecclesiae catholicae apud nobilem Anglorum nationem exaltatione ad summum Ecclesiae Pastorem fundo et fundere non desinam. Ascendant igitur hæc nostra vota, Eminentissime Princeps, a sepulcro coelestis Patronæ civitatis nostræ, regionis Vestrae quondam Filiae, sanctæ Ursulae scilicet et sociarum virginum martyrum, ipsarum, ut oro, et Beatissimæ Mariæ Virginis precibus et meritis suffulta et roborata, una cum cunctis aliis hodie pro salute Tua fuis, ascendant ad coelum: ut, cum Princeps

Pastorum apparuerit, Tu, Eminentissime ac Reverendissime Princeps, cum maxima Anglorum caterva, si beati Gregorii dicto concludere fas est, ad Angelorum consortium et ipsorum Angelorum Dominum pervenias, coronam ab Ipso accepturus immarcescibilem.

Datum Coloniae in festo Pentecostes, die XXV mensis Maii anno MDCCCXC.

Emo. Principi Henrico Eduardo Cardinali Manning  
Archiepiscopo Westmonasteriensi

Londinum.

Philippus Archiepiscopus  
Colonienſis